

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Michael Watson Daniel Rosenow

Theses Aristotelicae

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730215377>

Druck Freier  Zugang



R U. phil 1650
Michael Wabon
Daniel Rosinow



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730215377/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730215377/phys_0002)

DFG

THESES ARISTOTELICÆ

Quas

Suffragio Ampliss. Philosoph.

Facultatis

In Florentijs. Rostochiens. Academia

M. MICHAEL WATSONIUS,

ET

DANIEL ROSENOVIUS;

Publicæ disquisitioni exhibent.

Ad diem Januarij

In Auditorio Majori

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.

M. DC. L.

(27)

(13)

C. D.

I.

Bhilosophiæ Inventionem genti Judaicæ adscribendam esse verisimile nō est. Ägyptiis Sacerdotibus otio & ingenio præditis Mathematicæ initia debemus. Græcis ulteriorem Philosophicarum disciplinarum culturam non immeritò adjudicamus, imprimis Sapientibus & Prudentibus Viris Jonica sectæ addictis.

II. Philosophiam una communī definitione benè & juxta Dialecticæ Artis præcepta definiri posse, probabile non est. Tot dandæ sunt definitiones, quot significations æquivocum vocabulum continet.

III. Theologiam sive Sapientiam & Philosophiam primam sibi iure merito vendicare primorū principiorū considerationem, explicacionem & probationem, doctrinam de Deo, de Ente quat. Ens est, & de aliis quat ad cognitionem & venerationem Summi Numinis tanq. finem Philosophiæ spectant, non est quod dubitemus perpetuo.

IV. Physicam substantiam Mobilem & quæ ad illius declarationem pertinent; Mathematicam solū abstractam à materia sensibili quantitatē contemplari dicimus.

V. Philosophiam in Contemplativam, Practicam & Effectivam dividendam esse putamus. Contemplativæ annumeramus Theologiam, Physicam & Mathematicam. Practicam Politicam (cujus prima pars est Ethica) & Oeconomicam. Effectivæ omnes de Artibus scientias.

VI. Afferimus quod ab Aristotelis sententia discedant.

1. Qui Ens univoca & adæquata definitione describere tentant.
2. Virtutes Morales non collocant in Appetitu sensitivo hominis.
3. Definitionem Hominis Animal rationale esse putant.
4. Libros Aristotelis in Exotericos & Acroamaticos dividunt.
5. Troporum doctrinam ad Grammaticam aut Rhetoricam referunt.
6. In Dialectica potius de Categoriis & Syllogismo, quam de Problematis Accidentis, Proprij, Generis & Definitionis agendum esse statuunt.
7. Sentire, Velle, Credere non existimant esse pati.

8. Ens

8. Ens de substantia & accidente prædicari afferunt tanq. genus de speciebus, non ut æquivocum de suis diversis significatis, ut Sanum & Medicum, de illis quæ Sana & Medica appellantur.

VII. Per inductionem probari potest Oppositorum esse eandem Scientiam; ut de Cognitione & Cognoscibili, tenebris & luce, Ente non ente, morbo & sanitate. Et quod ejusdem sit scientia ac disciplina etat de objecto in genere & de optima illius objecti specie. Ut de Syllogismo & de Syllogismo demonstrativo, de Ente & Deo &c.

VIII. Sensus circa contraria versari manifestum est. Si E. contraria posse agere vel pati, idem sit, quam sponte & libere agere aut pati, quod bruta, quæ dicuntur animalia, sponte & libere, non tamen ex proæfisi agant & patientur, non est quod pertinaciter negemus.

IX. Omnino probamus sententiam Plutarchi quando inquit: Non arbitror Platonem, Aristotelem, Socratem, de Dialectica, studio operaque adhibitis scripsisse, de principio, fine, Diis & justicia dicitis duntaxat gratia atque joci. Et alibi: Aristoteles politissimus scriptor esse voluit, & quod voluit curavit, & quod curavit assequutus est.

X. Non rejicimus Fortunij Liceti Veneti Philos. pronunciatum tale; Qui se se uni vel alteri mancipant interpreti, eos verè, ut suum illum patronum in omnibus tueantur, portentosa & ab Aristotele penitus abhorrentia placita sape docere necesse est; non autem illum, qui solutus & liber ex Uno Aristotele ac rei natura semper in Peripato philosophatur.

XI. Non absurdum judicabimus si quis Dialecticè afferat; Aristotelem in Philosophicis non errasse.

XII. Benè dubitare, non omnium postulare demonstrationem, propter calumnias & objections nonnullas non recedere à Veritate. finem Philosophiae recte constituere, media legitima eligere & hisce similia præstare, in studio philosophico omnino utile esse censemus.

Additamenta.

1. Falsum, Sophisticum, ἔνδοξον, non est παρέδοξον.
2. Syllogismus non est ratio sed oratio.
3. Dialecticæ finis non est veritas, sed opinio probabilis.
4. Laudamus Platonis dictum: Malorum causam esse ipsum.
DEUM

DEUM, cum bonus sit, refellendum est omnino, neq; permittendum, hoc quemquam dicere in civitate, si bonis institutis legibus civitas debet, neq; insuper quemquam audire, sive ille sit junior sive Senior, sive carminibus hæc inserantur, sive soluta oratione narrantur, tanq; quæ neq; dictu sancta sunt, neq; nobis utilia, neq; inter se consona. Hinc affirmamus, Deum nullius peccati autorem esse, ne quidem per accidens.

5. Motus non est affectio corporis naturalis, quod autem ex motu Deum cognoverint Philosophi manifestè patet, si quis libb. Phys. & Metaphys. Arist. debita ratione explicaverit.

6. Quod Mundus ex naturalibus causis generationis non cœperit, rectè statuit Philosophus & h. m. Mundum æternum.

7. Ex mari omnia flumina oriſi æquè certum est, quam ex fluxu puncti fieri lineam.

8. Qui Unum univoca definitione definiendum esse autumant, unum non intelligunt, juxta Philosophum vero qui non intelligit unum, is nihil intelligit.

9. Ad Auscultationes Mirabiles spectant seqq.

1. Aristotelem antiquorum Philosophorum scripta pervertisse ac Vulcano consecrassæ.

2. Aristot: se in Euripum præcipitasse

3. Septemvitos Viros, qui A. M. 3310. tempore Josiæ Regis Jud. & Tarquinij Prisci Rom. vixerunt, fuisse Sapientes Græciæ.

4. Planetas Masculos, Fœminas & generis Epicœni esse.

5. Dari in Sole maculas, in Luna Montes & Valles.

6. Hirundines tempore hyberno sub aquis vivere; Pisces respi rare.

7. Sensus & intellectum in Homine de nulla re aliquid certi stauere aut determinare posse.

8. Demonstrationem ocularem Loci sine locato. Corporis successivè mori in Vacuo, Luminis nulli corpori inhærentis dari.

NIHIL OMNIA.
AD UNUM OMNIA!



Ptima methodo Sapientiam Primam Philosophus proponit; declaratis enim iis quæ ad Constitutionem (ut loqui amant) hujus disciplinæ pertinent; subjungit Primas Hypotheses, Prima Axiomata, Primasq; Definitiones. In omni videlicet scientia Dianoetica talia principia præsupponenda, ponenda aut declaranda. Cumq; Theologia s. Philosophia prima speculativis scientijs præferenda sit, manifestum est, non solum utile, sed necessarium esse quod hæc scientia, omnium prima principia inquirat & confirmet, Ad hanc tanq. Architectonicam & Supremam scientiarum Dominam provocandum, quoties in alijs disciplinis inferioribus ac particularibus, Hypotheses, Axiomata, Definitiones in dubium vocantur. Ut enim Geometra non probat sua principia, sic Philosophus in particuli scientia occupatus, similishac in parte est Geometre aut Mathematico,

II. Prout ineptū est in omnibus disciplinis certitudinem & demonstrationem Mathematicam expertere, nec non pura Mathematica refutare velle, sic absurdum est dicere, in Theoreticis Practicis & Effectivis Philosophijs ac Scientijs, Principia certa & incerto genere perfectas demonstrationes non dari. Vero enim absimile non videretur, Omnem disciplinam Philosophicam, hypotheses, axiomata ac definitiones, ex quibus demonstrationes sunt, sibi vindicare. Hæc demonstrat: principia bona & legitima sunt, si ex omnium primis probari possint.

III. Dantur in omni Philosophia Primæ propositiones, necessariae & æternæ veritatis; neq; Practicam & Effectivam quis heic excipere debet; uti iniqui sunt, qui illas scientiarum nomine indignas autemant. Sic omni temperantia necessario inest, ut Medium obseruet in illis quæ ad gustum & tactum spectant; Rosa est planta, Syllogismus est oratio, &c. Ejusmodi propositiones sunt necessariae & veræ. Debent vero omnes propositiones veræ revocari & examinari ad illas quas tanq. omnium primas, considerat, explicat ac quantum satis est, probat Philosophus absolutè dictus. Quoties E. in Disciplinarum genere Dialectico circa Orationem occupato, veræ propositiones occurunt, & aliquid esse vel non esse per Inductionem, Syllogismum aut Enthymema colligitur, toties respiciendum est, ad prima Axiomata in Sap. prim. propria.

IV. Simili modo si in Mathematicis aliquis neget principia, ut : Si æqualia æqualibus adjecta sint, tota esse æqualia. Totum sua parte esse majus ; Illum nequeo falsitatis & absurditatis convincere, nisi adhibitis primis principiis axiom, in Metaph. propositis, dicendo , quod idem simul affirmetur & negetur, atq; sic ostensivè & per deductionem ad impossibile principia Mathematica confirmo.

V. Idem afferendum de prim. principiis Philos. practicæ, dari S.B.H. dari Civitatem s. perfectam societatem ; hæc enim & similia aut vera sunt aut eorum Contradictoria erunt vera, juxta prim. & secundum princip. Axiomaticum. Et in Theoretica Philosophia, Physicæ principia; Quædam moveri; Non quodvis fieri ex quovis; vera esse deprehendet ex primis principiis, nisi statuat quædam simul vera & falsa esse. Pariter secundaria etiam principia Philosophiæ primæ probari debent & possunt ex primiis s. omnium primis, ut esse Deum , Ens immobile, alias Deus erit & non erit. Ens immobile erit Ens & non erit.

VI. Constat quod omnia Entia habeant principia cognoscendi, & quod ipse Deus naturali modo non nisi per principia talia innotescat; eo enim fine agendum in Metaph. de primis Hypothesibus, Axiomatibus & definitionibus , quo sciamus Deum esse primam formam, causam efficientem & finem primam. Deum esse substantiam primam, unam, æternam, optimam. Et cum hæc adeo vera sint, ut impossibile sit, in hisce mentiri aut falsa loqui sapientem, opus est ut ad Dei veneracionem excitemur.

VII. Potissimum nunc quædam notabimus de Primis Definitionibus. Quando enim Hypotheses aut axioma in aliis disciplinis sunt confirmanda, initium fieri deber ac solet à definitionibus , ita ut definitiones in certo scientiarum genere primas manifestem ex primis absolute dictis. Demonstraturus quippe Totum esse majus sua parte , primum declaro quid totum, quid majus. Si probare velim Deum esse substantiam primam , unam, quid Unum, quid substantia sit inquirio. Tales primas vocab. Definitiones Philosophus exhibere voluit delineando varias vocab. significationes in Libro quinto Metaph.

VIII. Cum autem quisq; de Doctore suo optima quæq; sentire debeat, ne rationum osor evadat , quemadmodum nonnulli hominum osores fiunt, certi sumus Aristotelera , optimè voluisse ac potuisse nobis aperire genuinas vocab. significationes ac Definitiones. Nullo modo

E. sepo,

E. seponamus hic Philosophum, aut vano voto optemus quò vocabula ab æquivationibus liberentur. Sed oportet discere, quemadmodum se habeant, aut optimam atq; tutissimam humanarum rationum eligere, qua quis tanq; rate vehatur, atq; ita procellas pertranseat, si nequeat firmiori quodam vehiculo, vel divino aliquo verbo turius ac minori cum periculo tranare. ut Plato loquitur. Hisce seqq. annetimus.

1. Valde nobis placent verba Conringij dicentis: An quisquam reliquit nobis, quod cum quinto Transnaturalis Philosophiae volumine mereatur comparari. Enim vero quoties istam Aristotelis curam specto, vix persuadere mihi possum alteri negotio vacare illum potuisse; ita quippe huic rei studuit, ut uni illi omnem vitam tribuisse, videri possit. Cum illis autem non facimus, qui ex hoc libro integrum Philosophiam primam declarare discipiunt, aut præter vocab. horum declaraciones in Metaph. nihil promunt, nisi quod ingenium, in novis subinde ac barbaris vocabulis detegendis exerant & macerent.

2. Prout nimis generale pronunciatum est, contra negantem Principia non esse disputandum, cum falsa & per inductionem minus probata principia omnino repudianda veniant, & genuina cuiusq; scientiæ particularis principia, ex omnium primis sive Confirmando contra protervum adversarium; sic nimis servile est, unicuiq; absq; arte & pro lubitu vocabula & distinctiones singenti credere. Cum potius Platonis illud observandum: Quidam inquit, de veritate nominum judicantes, quemadmodum Tragici commentitijs machinamentis ad Deos confundunt, sic ocyus rem expedient, dum tergiversationibus uruntur, insolentia ridiculaq; proferunt, rectamq; nominū rationem ignorant. Nominandum enim ea ratione, quam rerum ipsarum natura postulat, non autem pro nostræ voluntatis arbitrio. Loquendum cum Vulgo & usitato vocabula etiam in Philos. retinenda, missis nugigerulis ac barbis terminis.

IX. Merito initium Explicationum ambiguorum vocab. sumendum est ab illis, quæ pertinent ad Principiorum Sap. Primæ declarationem, ut sunt Princip. Caus. Elem. Natur. Necessar. & ad illa progrediend. quæ Objectum ejus explicant. ut Unum, Ens, Substant. p. st de affectionibus & requisitis Objecti: ut Eod. diverso, Potent. Actu &c. Metaphysici autem munieris maxime est de Principio & Causa agere, cum maxime principia & causas compleetur, licet & reliquæ disciplinæ de ijs tra-

stant. Dissentient vero à Philosopho & verò qui Causam & Principium tanq. Affectiones Entis adducunt, unam, generalem, Metaphoricam ac ambiguam utriusq; vocab. definitionem tradunt, putantve Principium & Causam tanq. latius & strictius differre, neq; tot ac ijsdem modis utrumq; dici. Loquimur hic ex mente Aristotelis & de illis quæ philosophicè cognoscere & declarare aliquis posset.

X. Notum est Vocab. Princip. & Causæ sex definitiones s. significations obtinere. Neq; existimandum quod una sit definitio, quando Principium dicitur primum unde aliquid est, sit aut cognoscitur. Sed hoc pronunciatum tres insinuat definitiones. Deinde Esse per decem præducandi genera obtinet, Eieri totidem ferè modis dicitur. Cognosci etiam æquivocum est cum sensu & intell. &c. aliquid cognoscamus. Primum dicitur id quod simpliciter vel in certo genere tale est, quod est ante reliqua vel absolute vel habito certo respectu. Unde quoq; sumitur varijs modis. Ideoq; cum singula verba hujus pronunciati sint ambiguæ, non poterit illud esse una quædam generalis definitio Principij

XI. Significat PR!NCIPIUM & CAUSA 1. illud rei unde aliquid primo movetur, non tantum unde aliquis per viam primo movetur, ita viæ principium est terminus à quo incipit iter facturus, homo est principium quando homo generatur. Contraria & privatio sunt principia rerum generabilium. 2. Unde aliquid sit optimè s. pulcherrime. Doctrina de S. B. H., de primis societatibus sunt principia, unde aliquis optimè discere potest Politicam. Novisse quid locus non sit, est principium unde optimè quid Locus sit cognoscimus. 3. ex quo primo aliquid sit ita, ut sit in re, quæ inde facta est; ita Carina est principium navis. Cor vel anatum est principium rerū generabilium. 4. primum unde aliquid sit ut non insit ei quod factum est. ut Maledicta sunt principia pugnæ, pater & mater liberorum. 5. primum ex cuius præelectio & deliberatio consilio s. instincto quædam s. moventur quæ moventur, ut architectus qui manum ministerio non utitur, sed utentibus præst, qui imperat alijs. Rex s. Magistratus sunt actionum Civilium principia, quando juxta Consilia & placita eorū. Cives agunt ac moventur. 6. primum unde res sit nota, ut hypotheses, axiomata, definitiones sunt principia disciplinarum, quæ sunt vera, falsa autem non sunt principia, cum ex ijs res non cognoscantur. Omnia autem prima demonstrationū Principia & quæ

quæ sunt in certo scientiarū genere prima, verē dicuntur principia, modō genuina & æterna ratione connexionis ac Veritatis sint.

A 1. Hæc ferē sunt primæ definitiones ac varie significationes Principij ex quibus colligimus; quod I, Natura, Elementum, Forma, Materia, Efficiens, Finis, Privatio rectè dicantur principia, sed diversimodè uti sunt principia interna & externa, generationis, compositionis, per se, per accidens. Natura est principium Motus internum rerum generabilium. Forma & materia componunt ac constituunt rem generationi & corrupti, obnoxiam. Privatio necessario ad generationem rei requiritur tanquam principium, sic aurora diei, ignorantia scientiæ, fatiga panis, bonum & malum appetitus, deliberatio, phantasia, sensus, appetitus sunt principia actionum & passionum in animalibus.

2. Tot modis dicitur Causa à iis, quot Principium δέχεται & hinc omnes

Causæ sunt principia & vicissim. Hoc obtinet maxime in iis quæ Philosophicæ considerationis esse possunt & solent. Unum ex altero sequitur; τοις ανταντum differunt. Per inductionem vero considerandum, quomodo Causæ sibi in vicem sint causæ, ut eruditio diligentia, diligentia eruditio &c. quod una res multas causas per se ac per accidens simul habere possit. Quod Idem sit Causa contrariorum, ut sol calor & frigoris. Vane quidam hinc conclud. Deū esse causam Mali.

3. Partes quæ constituunt, Totum ad Causam Materialē, Totum, Species, Compositio ad Formalem referuntur. Bonum s. verum s. appartenens, finis est qui mouere dicitur Metaphorice. Calor in semine est causa efficiens plantæ, animalis.

4. Causæ singulares & actu cum effectu simul sunt & non sunt; Causæ secundum potentiam non item. Statuaria hic cum hac statua, architectus cum domo, semen cum planta.

5. Ad Causam per Accidens refertur Fortuna & Casus. Fortuna tribuitur hominibus liberandi facultate præditis s. qui finem cognoscere & de Medijs actionum suarum consulere queunt. Casus latius pater, competit infantibus, pueris, animalibus alijs, lapidibus &c.

6. Plato inquit: quæcunq; rem ipsam non fabricant, sed fabricantibus organa subministrant, quibus absentibus institutum opus nequaquam perficeretur, eas causas adjuvantes nominamus, eas autem ipsas quæ principaliter faciunt, causas appellamus. Non vero opus est, ut ex his & similibus inferamus: Causam esse semper effectu p. et. fiantio.

stantiorum, Instrumentales causas non agere s. efficere nisi eleventur
virtute causa efficientis. Nihil esse in effectu, quod non antea etiam
actu fuerit in causa. Quod quis nos habet, alteri dare non posse.
Talis enim pronunciata per inductionem sumpta & confirmata non
sunt; ideoq; tanq; universaliter vera sine limitatione & debita explica-
tione, admittenda haut veniunt.

7. Solet fieri ut inter effectum s. finem & causam efficientem multa in-
tercedant quæ partim opera, partim instrumenta sunt ac pertinent
ad finem. Inde Finis est prima & summa inter causas; Finis est causa
omnium quæ sunt ad finem; ut domus est finis ædificatoris; heic multa
intercedunt; ut compositio lignorum, præparatio calcis, lapidum,
partium singularium fabrefactio, hæc sunt opera, adhibentur mal-
lei, serræ, scalæ &c. quæ sunt instrumenta. Sanitas est finis Medici, dum
Medicus ad istum finem operatur, interveniunt exsiccatio, purgatio
corporis, quæ sunt opera, clisteres item & organa alia.
8. Alio modo ac fine de Principijs ac Causis agit Philosophus primus, ut
varias hor. vocab. significaciones monstrat & prima principia ac Cau-
sas primas explicet. alio modo Physicus, ut principia substantiaz mo-
bilis corruptibilis & incorruptibilis, generationis, compositionis &
Motus declarat. Alia ratione Mathemat. qui definitiones loco Causæ
cur sit adhibet: & prout in alijs disciplinis Practicis & Effectivis dantur
demonstrations, sic quod in his principiis & causæ, ex quibus illæ
fiant occurrant, necessum est statuere.
9. Maximè Causa est ex quo in existente aliiquid fit. ut ex ære sit statua-
ænea. & metallum est causa statuz æneaz; sic etiam Causa dicitur Spe-
cies rei s. exemplar, h. m. causa sensibilis & intelligibilis est. Materia pri-
ma ita non est causa ut sit sensibilis species.
- XIII. ELEMENTI significaciones sunt i. sumitur pro eo ex quo
primò in existente & secundum speciem indivisibili aliiquid componitur
& in quod ultimò compositum resolvitur. In esse debet elementum in
re composita actu vel potentia; dividi non debet in alias specie diversa.
ita literæ sunt elementa vocum compositarum. ita prima corpora natu-
ralia s. primæ substanzæ mobiles corruptibiles, ignis aer &c. sunt ele-
menta reliquarum substanziarum generabilium. Et maxime quæt. consi-
derant ut generabilia, dicendum, quod eorum Materia & forma
maxime & primò appellantur elementa. 2. sumitur Metaphorice pro eo
quod

quod parvum, simplex, indivisibile est, modò sit primum ex quo aliquid constat, divisio enim ejusq; sit usq; ad elementa, ut Civitas in viros & pagos; Vicus in domos; domus in tres societates primas; illæ societates sunt elementa Civitatis, ita si obulus nequeat amplius dividii, sed sit primum in genere numerorum, obulus erit elementum. Ligna & lapides sunt elementa ædificij, prima longitudo ut digiti potest esse elementum longitudinum. Hinc Elementa sunt Universalia ut genera, & decem summa rerum genera, & quia genera magis sunt universalia quam differentiae, magis quoque sunt elementa. Cei enim inest differentia ei etiam genus, sed non vicissim. Deinde in omnibus disciplinis dantur elementa cognitionis, inde primæ definitiones, hypotheses, axiomata in Mathem. ut proponuntur ab Euclide sunt elementa, ad quæ sunt resolutiones aliarum demonstrationum in Mathem. & potissimum primæ definitiones, hypotheses & axiom, in Metaphys. Aristot. proposta, sunt elementa omnium demonstrationum. Quod si quis heic contendere velit 1. de eo quod non in omnibus disciplinis dentur talis elementa, 2. quod non omnes syllogismi ex quibus sunt demonstrationes tribus terminis constent 3. quod non datur una propositio immediata in quovis genere scientiarum. 4. quod primus Syllogismus in disciplina quadam qui monstrat Cur sit, non sit fundamentum istius disciplinæ. 5. quod Sal Sulphur possint esse elementa prima rerū generabilium 6. quod quatuorelementa ut pura sunt, non sint principia generationis, aut alterari, transmutariq; queant; illum remittimus ad Analyticam & Physicam, & ne inductiones sine instantia neget suademos, si bene de his & similibus dubitet, poterit solutionem dubiorum ex illis disciplinis obtinere. Scendum quoq; omnia elementa esse principia, sed non contra. Causa efficiens elementum non dicitur neg; finis.

XIV. NATURÆ vocab. minus latè patet quam vocabulum Elementi. Elementum tribuitur rebus motum non habentibus ut elementa doctrinæ physicæ, religionis &c. dantur, sed Natura significat 1. viventium generationem & sic est via ad naturam; ut sanatio via ad sanitatem. ita natura edit ramos, folia, radices in arboribus. 2. id ex quo primo in existente aliquid generatur; ita Materia, primum generationis subiectum dicitur natura. 3. principium & causa motus & quietis in rebus generabilibus. 4. ex quo aliquid est seu fit ut ex inordinato ordinatu, ex cera conus ex ligno lignea, ex lapidib. lapidea sunt. 5. Natura dicitur substantia rectis & solidis & sic forma maxime dicitur Natura 6. Materia prima quæ vel absolute

solute vel in certo genere prima dicitur, Natura appellata, ut status æneæ natura est aera aqua terra & horum Materia, sanguinis natura est aliquid terreæ, aereæ & aqueæ sortis. 7. Metaphorice omnis substantia naturam habere dicitur, ipsa etiam artificialia. Nota; ut prima sapientia, Philosophia, & propriæ dicta Philosophia idem sunt, sic prima Natura, Natura & propriæ dicta natura idem sunt quæ competit rebus mobilibus generationi & corruptioni obnoxij, & ad hanc significationem tanq. primariam reliquæ referuntur.

XV. NECESSARIUM sumitur i. pro eo sine quo non contingit vivere tanq. concusa; sine quo res esse nequit. ut respirare, nutrimentum capere sunt necessaria animalibus, quæ respiratione cibo & potu indigent. 2. sine quo bene s. bonam esse non licet, sine quo res fieri ac comparari nequit. ut sine tempore, experientia, cerebro exercitio, prudentem, artificem esse non contingit. Sine sanitate, opibus virtute, non licet beatè vivere. 3. sine quo malum avertire ac declinare aliquis non potest. s. sine quo non contingit liberari à malo. ita pharmaca, inedia, famæ, fuga sunt necessaria ne in morbum & periculum quis incidat vel ut ab illis malis liberetur. 4. Necessarium ponitur tanq. finis rei & quæ ad illum obtinendum spectant. ut lignum secerat ad scilicet serram, illadura & hinc ferrea esse debet. dentes sint duri ut cibum conterant & hinc sint terreæ sortis: 5. Violentum & vis dicuntur necessaria. ut quod præter proæsin & appetitum est, quod contra naturalem motum, sic unus appetitus agit contra alterum. Hinc Necessarium Violentum vel absolute tale vel mixtum oritur. 6. Quod aliter se habere non potest. necessarium est rosam esse plantam. justiciam esse Virtutem; Deum esse justum, principium & finem rerum omnium. 7. quod demonstratum est optima ratione.

XVI. Hinc notanda sunt seqq. 1. Datur Necessarium absolute & ex hypothesi idq; ferè per omnes Necessarij significationes obtinet. 2. Violentum Necessarium ab interno vel externo principio originem habere poterit & cum tristitia conjunctum est, quando animalibus tribuitur. 3. juxta illam significationem Necessarij, qua denotatur id, quod se aliter habere non potest, reliqua penè omnis dicuntur necessaria. ita quædam facere, pati, fieri contra voluntatem, ac naturæ imperium, necessarium est. respiratio necessaria est animalibus vivis pulmones habentibus. 4. Lapis ex necessitate sursum & deorsum fertur sed non ob eandem necessitatem. 5. Datur utile necessarium sine quo bonum consequi non possumus, ut bibere

bibere propter situm. & utile non necessarium, ut vinum bibere propter situm. Hoc ex hypothesi s^epe necessarium fieri potest 6. Quædam propter causam sunt necessaria, quædam causa sunt, propter quam alia sunt necessaria. ita Conclusio & propositiones in Syllogism. demonstratis. 7. quod est maximè simplex maxime dicitur necessarium & tale esse debet ex quo primæ demonstrationes fieri debent. Et h. m. Deus est maxime simplex sine ulla compositione, & necessarium, in quo nihil contingens, violentum aut contra naturam. Ad Deum E. ultimo omnia referenda. 8. Necessitas in disciplinis similis est illi quæ est in Naturalibus.

XVII. UNUM non est una definitione declarandum, neq; statendum omne Ens esse unum & omne Unum esse Ens neq; hæc unq; pro Synonymis habuit Philosophus, licet s^epè hæc vocab. conjungat & quod latissimè per omnia prædicandi genera se extendant non uno in in loco doceat. Sumitur autem Unum 1. pro eo quod est per Accidens tale, & hoc varium est, prout vel Substantiae conjunguntur plura accidentia, vel accidens accidenti accedit. Accidens accidit alteri ut album Musico, vel ut Musicum homini. ita Homerus & Poeta, Aristoteles & Philosophus sunt unum 2. quod est per se Unum, hoc autem varium est 1. quod est Continuum s. per artem s. per naturam. ita Una mensa s. asseres glutine cohærentes ita animalium partes cohærentes unum sunt. Quando E. quanta se invicem tangunt & secundum contactum unum fiunt, Continua dicuntur, si uno indivisibili motu moveri possint, hoc fieri potest naturali conjunctione, vinculo, filo, nexus, implicatione, sutura, mixtione appositione, coordinatione, clavo, insitione. Ex his illa magis dicuntur Continua & Unum quæ flexionem non habent, ut linea magis quam triangulum, tibia quam pes animalis, arida quam liquida. 2. Unum per se dicuntur quæ eandem formam habent, quæ sunt ejusdem speciei, ut omnia Vina, omnis aqua, omnes liquores. 3. quorum genus est Unum etiam si differentiae sint diversæ ut homo, leo, canis, ursus. 4. quæ definitione s. oratione essentiam declarante convenient, ut ensis gladius 5. quæ uno modo & tempore intelliguntur, ut si cognoscam Medicum, quod albus, Pater, Dominus sit &c. Tali modo certum est quod Unum dicatur per omnia prædicandi genera.

XVIII. Præterea notum sit quod Unum Numero dicatur singulare quod eandem Numero materiam habet. Unum specie quod eandem definitionem habet, Unum genere ut omnes plantæ, Unum analogia

quæ insimilitudine convenient ut vespera & senectus. 2. Quæ genere U-
num, etiam analogia unum sunt, quæ Numero etiam specie. sed non
reciproce. 3. Unum est principium cognoscibilis circa Unum quodq;
ita Unitas, punctum, quia indivisibilia maxime sunt Unum & Mensura
4. Ex unius definitionibus & significationibus quomodo Multum se
habeat cognoscimus.

XIX. ENS varijs modis dicitur neq; propter univocationem quan-
dam omnia quæ hoc nomine veniunt appellanda sunt. Habet se hoc
vocabulum ut Sanum & Medicum, quæ de Multis sanis & Medicis diver-
sissimam Naturam obtinentibus dicuntur, neq; fieri potest ut unus con-
ceptus benè se habens hec attendatur. Deinde datur Ens per Accidens
& per se. Ens per Accidens dicitur 1. quando duo vel plura accidentia
uni competunt ut flavum, dulce liquidum melli. 2. cum accidens præ-
dicatur de Ente s. quando ab accidentiis, denominatur Ens ut à nigre-
dine, arte Musica &c. 3. quando substantia & accidentia uni videntur
in esse & adesse ut Musicum & hominem esse dicimus de Paulo. Hę Mu-
sicus ædificat, studiosus ægrotat, Professor curat. Hae ratione Esse est
accidere ut Professor est Medicus i.e. accedit ut Professor sit Medicus. Sic
Est homo cui in est quod sit Musicus, de quo Musico (illud) homo præ-
dicatur. Ens autem Per Se tot modis sumitur, quot genera prædicandi
dantur. Hinc quædam dicuntur Entia quia rō n̄ ēsī significant ut sub-
stantiæ. DEUS, homo; quædam quia quale ut Color, calor, quædam quan-
tum ut Corpus, magnum patrum. sic in alijs. Ensigitur per se h. m. de-
cem definitiones & significationes habet. ita sentiens, convalescens, re-
dux, sive homo sentit, convalescit, redit dicimus &c. Deinde in propo-
sitionibus Ens significat id quod verum est, s. Esse significat verum esse,
non-Ens non esse, s. falsum. ut Deus Ens justum, æternum optimum h.e.
verum est Deum esse justum. Homo non est lapis i.e. falsum est homi-
nem esse lapidem, sic verum s. vivum hominem Ens; pictum s. fictum ho-
minem non-ens appellamus. Ulterius quod potentia est, dicitur Ens, hinc
possibile dicitur verum, impossibile falsum absurdum & Non Ens. Et
Ens dicimus esse actu vel potentia ut sciens qui scientiam habet & qui
illa utitur. Quiescens quod potest quiescere & quod actu quiescit. Præ-
terea toties adducit Philosophus varias significationes Entis, ut mirum
sit, illos, qui ejus interprætes audire volunt, contrarium docere posse,
dum de uno conceptu generali, abstracto, definitione una, multum cura-
sus esse.

Suscepserunt. Nos nemini h̄c dicam scribimus; existimamus tamen facilitate negotio, in illam sententiam devenire posse Philosophiæ Aristotelicæ Cultorem, Ens non esse una definitione describendum. Reliqua quæ de Entis definitionibus & significationibus afferenda sunt, merito cum Philosopho ad alios libb. rejicimus.

XX. SUBSTANTIA aliquot modis sumitur 1, denotat similitudinem
quæ motus principium in se habent, ut principia rerum generabilium
s. Elementa, ignis, aëris, aqua, terra. Et antiqui quidam Philosophi puta-
runt Ens & substantiam esse corpora. 2. composita s. mixta quæ non sunt
corpora sed corpora habent, ut animalia, plantæ. Hinc substantiae mo-
biles simplices & mixtæ, deinde & generabiles & iugenerabiles, carun-
demq; partes, substantiae appellantur. Putamus quod per dæmonia
intelligat Philosophus cœlum, stellas, animam humanam s. intellectum,
quæ excellentia & extra communem generabilem sortem posita esse
certum est. Neq; opus est ut Dæmones s. Genios, genere animalia, ani-
mo passiva, mente rationalia hic explicemus ex mente Platonis cum
Apulejo & aliis. 3. principia quæ perfectas substancias constituant ut illæ
insint, substantiae appellantur: ita Materia & forma rerum generabilium
& principia Motus in rebus generationi non obnoxii ἔσται appellantur.
Sic Vita in Animabilibus & plantis dicitur substantia. 4. partes quæ ita
insunt ut τὸ πᾶν εἴηται rerum declarent, quibus lassis ac pereuntibus composi-
tum s. totum interius substantiae dicuntur. Ut Cor in animalibus sanguine
præditis. Sic sanguine effuso perit animal; non quasi in ipso sanguine
sit vita, aut q. sanguis sit vehiculum vitæ, sed quia deficiente nutrimento
deficit animal & vivere desinit. Ita juxta Pythagor. & Plat. numeri &
res Mathematicæ, sunt substanciali, cum numero sublati, superficies,
lineæ, corpora tolluntur. 5. quod rei essentiam continet & explicat. Ideoq;
τὸ πᾶν εἴηται rei est substantia. Et τὸ πᾶν εἴηται & ὁ θεός μοῦ
primæ & absolute dictæ substanciali competunt. Hinc substantia dicitur
de ultimo subjecto, s. de subjecto singulari quod ex ultima materia con-
stat, nec de aliquo dicitur. Et de eo quod largitur quid sit esse rebus. In
de Forma est ἔσται est causa cur res sit. Ex rationibus namq; substanciali
sunt, τὸ πᾶν εἴηται, καὶ τὸ οὐκείδην.

XXI. Cum Substantiæ ratione maximè quædam Eadem, quædam Diversa, differentia aut similia dicantur, quot significaciones & definitio- nes hæc obtineant inquirendum, EADEM appellantur quæ vel

per se vel per Accidens talia sunt. Per accidens, quando Substantia cum accidentibus esse dicitur idem ut & Musicus Poëta albus i. e. est homo s. substantia cui accedit esse Music. Poët. album & hæc eadem sunt. 2 quando accidentia cū substantia esse dicuntur, ut est albus eruditus homo, i. e. album, erudit. accedit ei, quod est homo, qui per se est, 3. quando accidens cum accidente in eadem substantia esse dicuntur, est pius Medicus & Musicus eruditus. i. e. est homo cui accedit esse pium, Musicum, erudit. Medic. Ex hujusmodi quæ sunt per Accidens Eadem, Universales propositiones fieri nequeunt, quia maximā partem sunt singularia. Non dico Omnem hominem esse Musicum. Omnem Socratem esse philosophum aut contra. Per se autem Eadem dicuntur prout illa quæ per se Utauntur. Eadem Numero quorum Materia sensibilis una est, quæ idem genus, eandem speciem, & sicut s. substantiam obtinent. Interdum Eadem Numerō differunt λόγῳ ratione. Ut Scala qua descendimus & ascendimus. Via quæ Rostochio Wismariam & quæ Wismaria Rostochium ducit. Specie eadem, eandem definitionem habent quæ quat. eandem indivisam materiam obtinent numero quoq; sunt eadem. Ut partes aquæ conjunctim sumptæ nec specie nec numero differunt; ratione & sicut s. substantiæ maxime Eadem esse dicuntur Individua singularia. autē autē ταῦτα.

XXII. DIVERSA tot modis dicuntur quot Eadem. Diversa per se sunt quorum materia, λόγῳ τῆς & οἰας alia atq; alia &c. Per Accidens diversa quæ opponuntur iisdem per accidens. Non sunt Synonyma Diversa ἐνοργε & Differentia διάφορες. Sub diversis continentur Differentia; Omnia differentia sunt diversa, non vero vicissim nisi abusive loqui velimus. Differentia sunt quæ licet genere, specie aut analogia convenienter Numero non sunt idem. Neq; opus est Varietatem Legionum ac Interpretum hic adducamus, cum ex ipso Philosopho discri-
men Diversorum & differentium sat manifestum sit. His cohærent Similia quæ numero vel specie easdem qualitates habent juxta quas sunt alteraciones. Amantes, studentes, morbo laborantes similes sunt quia pallidi. Item Iracundi, & amantes. Vina eundem Colorem, saporem, odorem habentia sunt similia; piper est similis igni.

XXIII. OPPOSITA quatuor ut notum est, modis se habent; dantur enim Contrariæ, Contradictoriæ, relativæ & privativæ opposita.

Hinc

Hinc principia generabilita sunt contraria, non enim sufficit ut diversa sint, & termini mutationum esse possunt oppositi. Deinde secundum se sunt Opposita quæ in uno subjecto simul esse nequeunt, aut quæ ex oppositis constant, ut intermedia referuntur ad utrumq; contrariorū, ut tepidum; intermedij colores. Quæ enim naturā sunt, fieri solent ex contrarijs aut intermedij. Ulterius Contraria per se sunt, quæ genere differunt eidemq; subjecto eodem modo inesse ac adesse nequeunt, ut agere & pati: quæ genere convenienter sed differentijs distinguntur ut album nigrum sub genere coloris. Virtus & vitium sunt habitus: quæ in eodem subjecto capaci esse possunt ut sanum & ægrum in animali, eruditum & rudem in homine; quæ ad eandem potentiam & facultatem spectant. Ita ad potentiam sentiendi contraria spectant ut potentia videnti & visus circa album & nigrum, audiendi circa Contrarios sonos, gustus circa amarum & dulce. Scientia contraria speculatur, de luce & tenebris, Ente & principijs entis, albo nigro, &c. in iisdem disciplinis agendum. Duæ etiam sunt Artes quæ contraria possunt Syllogismo concludere Rhetorica & Dialectica, non tamen putandum est quod vocabulum Artis tum specialiter talem disciplinam notet vel quod conclude respecialiter sumatur pro contraria concludere. Ita Dialectica refutare & probare, Rhetorica laudare & vituperare docet.

XXIV. Quæ toto genere diversa sunt dicuntur Opposita ut Ens-non - Ens. nec non illa quæ aliquo modo genus aliud obtinent, vel quæ sub eodem genere differunt. Specie enim diversa sunt quæ cum sint ejusdem generis, non sunt subalterna; quæ sub eodem genere collocata, specificas differentias agnoscunt & quæ quo ad ḡcias s. substantiam contrarietatem habent. Unde Contrarietas quæ est in ratione s. definitione essentiam rei declarante, specificam differentiam facit, non illa quæ cum materia coassumitur. Quodq; varijs modis se habeant Contraria, inde constat, cum ignis & aqua dicantur Contraria quia formis contrarijs sunt prædicta. Materia prima s. commune elementorum subjectum contraria suscipere potest, illa quæ contraria agunt, patiuntur, privationes, habitus, contrarij nomine appellantur. In his Contrariorum definitiōnibus & acceptiōnibus ad Entis & Unius declarationes attendendum. Neq; ex inaceurato, dubio aut suppositiō libro Categoriarum afferendum; substantiis nihil esse Contrarium; elementa & illorum formæ sibi invicem sunt contraria. Homo & equus sunt contraria. Alias substantia-

tia subjectum contrariorum est, & maximè dictæ substantiæ DEO, nihil est contrarium. Omnes autem differentiæ sub aliquo genere maximè distantes, sunt Contrariæ, formæ elementorum sunt Contrariæ, quia idem subjectum, cui vicissim in sunt & cujus ratione maximè distante, habent: & ratione formarum Contrariarum ipsæ substantiæ compositæ, contraria appellantur.

XXV. PRIORA & POSTERIORA varias definitiones & significaciones obtinent. Prius dicitur primum principium à quo reliqua omnia quæ ad certum genus spectant q. dependent, sive quod magis propinquum est determinato cuidam ac notiori principio quam alterum, poterit autem fieri ut illud principium sit simpliciter à natura definitum, sive alio modo in respectu ad certum locum. Nam illa quæ medio mundi centro s. terræ sunt propinquiora, aut quæ Cælo, ultimo loci termino sunt propinq. Priora etiam appellantur. Constat enim quod mobilia secundum gravitatem & levitatem sint in loco, & quando sunt propinquiora loco à natura determinato tum priora esse dicuntur alijs quæ ab illo sunt remotiora ut quando gravia terræ, levia Cælo propinq. sunt. Locus enim omnium est supremi Cæli superficies Concava & centrum Universi. Deinde & illud prius dicitur quod alio quodam loco est propinq. in respectu ad aliud. 2. ratione temporis in præteritis illa priora sunt, quæ à præsenti sunt remotiora ut bellum Gothorum bello Britanorum. in futuris quæ præsenti sunt propinquiora, ut festum Paschatos prius est festo Pentecost. respectu diei Paræse, 3. ratione Motus & actionum, quædam alijs priora dicuntur quæ principio Motus. s. causæ Unde est motus sunt propinq. ut puer prior Viro, pullus gallo, ovum pullo.

XXVI. Quædam alijs Priora dicuntur ratione eminentiæ & potentiae ut primarius Civis in Rep. Rex in regno. Dux belli in militia; ad cujus electionem & arbitrium moventur reliqui. Quædam ratione methodi & ordinis priora sunt: ut elementa in singulis disciplinis sunt priora. sic etiam, quod ab illo, à quo numeratur initium rei vel actionis proximum est, dicitur prius, ita in Chœris qui secundum locum à præsule obtinet, prior est tertio. Quædam etiam dicuntur priora Cognitione quæ præ cæteris cognoscuntur & alia nota reddant. Illa se habent duplice modo; est enim aliquid Notius Natura vel Nobis, sive Notius simpliciter aut secundum nos. Natpra notius est id quod simplex & ratione prius est. Unde ratione & simpliciter prima dicuntur Natura & essentia priora

priora, quæ prius ab intellectu cognoscuntur, qualia sunt communia,
& quæ essentiam rei declarant. Nobis notiora sunt, quæ sensibus magis
sunt obvia, ut singularia quæ varia esse possunt. alia pueris, alia Viris &c.
notiora. & sic secundum sensum notiora sunt singularia, partes, secun-
dum intellectum universalia & totum. Nec non illa dicuntur esse priora
secundum naturam, quæ ita sunt comparata, ut ijs sublati reliqua tol-
lantur, quæ esse possunt sine alijs, cum tamen alia sine illis esse non pos-
sint. ita duo esse possunt sine tribus, sed tria sine duobus non. ita sub-
stantia prior accidentibus, genus specie, partes toto. Alia ratione hæc se
habent secundum potentiam & alia secundum actum considerata. secun-
dum potentiam pars prior toto, secundum actum totum prius parte. Si au-
tem heic quis velit determinare quodnam sit primum Cognitum ratione
nostræ & illud dicat Ens; videat ne contra veritatem de incertis aliquid de-
terminare præsumat.

XVII. POTENTIÆ vocabulum Una definitione declaran-
dum non est. Sed 1. significat principium Mutationis vel motus in alio
quat. est aliud. Mutari dicitur quod jam aliter se habet quam antea. Po-
tentia calefaciendi aquam quæ est in igne, sutor potentiam ealceos fa-
ciendi. Medicus curandi habet. Illæ potentiaæ sunt principia mutationis in
alijs, ut in corio, in ægrototo. Quando Medicus à se ipso curatur non facit
Medicus hoc, quatenq; est talis, sed quā ægrotus. Igitur ars medica & ejus-
modi principia moti in alijs alia, sunt Potentiaæ activæ. Huic Potentiaæ op-
ponitur Impotentia, quæ est carentia principij transmutationis vel motus
in alio quat. est aliud, ut qui artem Medicam non didicit habet adu-
pias sanandi. In Aqua frigida est Impotentia calefaciendi. 2. Potentia
denotat principium motus vel mutationis ab alio, & hæc est potentia
passiva, ut Aqua habet potentia quæ potest calefieri ab alio videlicet igne.
In corio est potentia passiva ab alijs. Sutore. Huic potentiaæ opponitur
Impotentia aduapiæ quæ est Carentia transmutationis ab alio, ut in
igne qua possit frigesceri, in lapidibus qua possint sanari.

XXVIII. Tertio Potentia dicitur principiom per quod aliquis si, ali-
quid potest bene, commode, egregiè præstare & quod sibi proposuit ef-
ficere. Qui non potest bene & expedite illa facere, habet aduapias
ut qui potest bene scribere, cuccere, canere illum dicimus posse, qui non
potest expedite canere disputare, illum dicimus non posse. Sic etiam
quod habet principium secundum quæd potest commode moveri vel
C mutari

mutati dicitur posse. & non posse contra. Ita de materia ex qua non
benè fieri potest calceus, vestis, dicimus quod non possit inde fieri. 4.
Potentia est habitus secundum quem aliquid tale est ut non patiatur vel
non facile patiatur aut mutetur in deterius. **Adversaria** est quando ali-
quid facile mutatur in deterius. Ita Potens & posse dicitur quod non po-
test calescere, frangere, corrumpi. hæc potentia quidem negativè effertur, sed
infert aliquid positivum; quando aliquid non quidem agendo, sed non
admitendo, talem potentiam exercit. Ita Continentia & tolerantia in-
structi non admittunt ut corrumpantur & plus justo patiantur ab affe-
ctibus; quemadmodum Incontinentia, molles similis est impotentia
qua aliquid facile comburitur, frangitur.

XXIX. Ideoq; secundum Potentiam **Possibile** est i quod Movere po-
test 2. quod ab alio moveri potest ut instrumento 3. quod in aliud trans-
mutari potest, propter dispositionem vel privationem quam habet. Si-
gniliter **Possibile** dicitur juxta potentiam activam & passivam. ut qui habet
potentiam benè jocandi dicitur posse jocari. ex ligno & lapidibus fieri
potest domus. Deinde posse dicitur de illo per quod, aliud motus & mu-
tationis principium habet in alio. ut serra dicitur posse secare lignum,
penna scribere, fistula canere, quia aliud habet potentiam secandi per fer-
ram &c. Sic etiam posse dicitur quodcumq; habitum quandam habet
juxta quem non corrumpitur, frangitur aut non facile in deterius mu-
tatur. ut durum non potest frangi. Dicimus etiam quod lignea serra
non possit secare lignum; quod molle non possit resistere tactui. Ulte-
rius & illud dicitur **Possibile** quod ita falsum est, ut Verum esse possit, ut
hunc hominem jam ambulare falsum est, sed quia verum esse potest
dicitur possibile. Et quod Necessarium est ut Deum esse Veram; hominem
animal dicitur possibile. Nec non quod falsum esse potest licet jam ve-
rum sit, ut jam disputare potest esse fallum, sed quia nunc verum est
dicitur possibile. **Impossibile** vero appellatur falsum, quod nunquam po-
test esse verum ut hominem esse lapidem, quod non facile, benè & com-
mode esse potest dicitur impossibile, ut difficile. Possibili necessario op-
ponitur Contingens. Possibili contingenti opponitur Impossibile Con-
tingens. Datur etiam possibile quod verum esse potest & hoc Metapho-
sicè tale dicitur, ut in Geometria si quis Quadraturam Circuli possibi-
lē dicat. Præcipua autem significatio potentia & possibilis est illa-
quæ sumitur pro principio mutationis & motus in alio. ut E. qui benè
potest

potest etiam posse dicitur sed non viceversa, sic etiam potentia ut est principium mutationis in' alio, alias inclinit, sed tamen non omni potentiae tribuenda & applicanda. potentia contemplandi, potentia quā ignis sursum fertur non sunt tales potentiae. Natura est principium mutationis & motus à se ipso. Alias quando Potentia alia dicitur Rationalis libera quae potest contraria & Irrationalis contra, putamus quod bruta quae dicuntur animalia, quat. secundum appetitum sensitivum propter finem trahunt omnino potentiam rationalem & liberam habeant. Irrationalis autem potentia hoc modo competit inanimatis, ut iugai qui non potest frigescere, &c.

XXX. Quando Potentiae Actus opponitur, notandum quod quid actus sit definiri nequeat, sed illud per exempla analogica cognoscendum. Actus se habet 1. tanq. is qui ædificat ad eum qui ædificare potest. ædificatio est actus. 2. tanq. is qui vigilat ad eum qui dormit. vigilans animal est actu. Ita plantæ temp. hyemis se habent ut animal dormiens, æstatis ut vigilans. 3. qui se habet ut videns ad eum qui clausos habet oculos si modo videre possit. Ita judices sæpe sunt secund. potentiam justi, non actu. 4. quod segregatum est ex Materia, illud se habet ad aliud quod materiam habet tanq. actus & potentia, ut lac segregatum ex bu-tyro. 5. quod se habet ut elaboratum ad non - elaboratum ut domus ædificata ad lapides ligna. Actus E. dicitur ut ædificatio, ut vigiliae, ut visio, ut segregatum, ut elaboratum & formam habens. Observandum quoq; quod potentia sit tempore prior illo actu qui per eam producitur ut potentia ambulandi prior est actu. Simpliciter tamen loquendo Actus est tempore prior potentia, nemini enim competit potentia scribendi nisi antea scriperit. per exercitum actus, acquiruntur potentiae ut habitus. Quidam actus imperfectiores præcedunt potentiam, quidam se-quinuntur qui sunt perfectiores. Quod E. potentiam in actu producit, id actu & prius est: Sic etiam Actus est prior potentia Cognitione intel-lectuali, cum potentia per actum definiatur: Ut enim omnis potentia quae genita est per actum est genita, & omnis actus genitus per actum genitus est, usq; ad primum actum. sic potentia definitur per actum, & actus per actum usq; ad primum simplicissimum & purissimum actum, qui est Summus DEUS. Sapientis enim est reducere Definitiones ad primas & omnia ad DEUM. Actus quoq; est Natura prior potentia, quia est finis cuius gratia potentia est, ut potentia videndi finis est videre.

potentia ambulandi, ambulare. Et sic omnino quæ sunt potentia ordinantur ad actum & tandem ad actum primum; qualis est DEUS primum Eos.

XXXI. QUANTUM sumitur pro illo, quod divisibile est in partes, ex quibus ut tale quid constat, & unaquæcū pars poterit esse Unum. Et quantitas multitudo vel magnitudo est; quando multitudo est numerabilis & magnitudo mensurabilis. Infinita enim quantitas actu non datur, nisi in conceptu. Multitudo dividitur in partes non continuas. Magnitudo divisibilis est in continua. Hac ratione juxta Philosophum rectè dico quod Nullum Continuum sit ex individuis. Linea non est ex punctis. Numerus non est ex Unitatibus. Sed principium Lineæ longæ est parva linea, principium Numeri ut Senarij est primus Numerus binarius. Neq; absurdum est dicere, quod Corpus sit tantum id quod Quantum est & triunam dimensionem habet; aliquando abusive Corpus sumetur pro substantia, ut quando objectum Physicæ dicitur Corpus naturale, cum Physica non de Corporibus sed de substantia mobili partim generabili partim ingenerabili tractet. Quædam per se dicuntur quantæ quæ in se & per se dividi possunt in partes, ut Corpus. Quædam per Accidens ut quæ Corpus habent ut substantiae mobiles. Ita quod est in loco triunam dimensionem habet per se. Locus per accidens. Similiter propter quantitatem quædam dicuntur brevia, longa, lata, ut longus homo, tres justi; profundus puteus &c. sic album, dulce, calidum, dicitur quantum, ut album in saccaro per accidens. Ita Motus etiam quantum & Continuum quid dicitur, propter Magnitudinem quam habet substantia mobilis, ut datur Corpus quod circulariter sive alio motu naturali fertur, & hoc continuum est, propter motum etiam tempus. Mensuramus enim tempus Motu, & Motum tempore.

XXXII. QUALE 1. significat differentiam substantialem, ut esse pedestre bipes est differentia substantialis hominis, quæ est animal; & Se- dantur Substantiales qualitates quæ de omni subjecto cui competit, verè & semper prædicari possunt, ut calidum de igne, sanguine, frigidum de aqua, &c. 2. affectiones rerum Mathematicarum & immobilium, ut Numeri habent qualitates, dicitur par & impar Numerus, ita quod numeri proportionem inter se habeant dicitur eorum qualitas. 3. juxta quas alterationes & mutations fiunt illæ passiones dicuntur qualitates, ut humiditas siccitas; calidum frigidum. Deinde habitus & dispositiones dicuntur.

dicuntur qualitates ut Virtutes & vitia. Certum etiam est ex Philosopho
quod Bonum & Malum differentias Motuum & Operationum mani-
festent. Neq; statuendum Omne Ens esse bonum, cum dentur Substan-
tiae mala. Hoc loco Philosophus de Mabilis dicit quod bona vel mala
esse possint. Alias non est negandum quod Bonum detur in substantia
ut DEUS est bonus, in qualitate, ita quædam Scientia dicitur bona, ita
quantitate statura mediocris bona, in ubi diversoriū dicitur bonum &c.
Quando vero bonum dicitur quod omnia appetunt, tum bonum idem
est quod finis, unde bonum s. Verum s. apparet finis rationem habet,
maxime tamen id dicitur finis quod est Optimum. Constat etiam quod
inter Bonum & Malum detur Medium quod nomine carer. Potissimum
vero malum & bonum in ijs quæ secundum præelectionem agunt aue-
patientur datur.

XXXIII. RELATA dicuntur varijs modis; in rebus Mathematicis ut numeris quod Unum referatur ad aliud clarum est. ita duplum
est dimidij duplū, excedens referatur ad id, quod exceditur. sic etiā secun-
dum actionem & passionem quædam relativè dicuntur ut calefactivum
ad calefactibile, quod secatur ad id quod secari potest, ita agens ad pa-
tiens & vicissim. Sic etiam Cognitio ad cognoscibile, mensuratum ad
mensurabile, Scibile & Scientia. Pater ad filium, Mobile ad motorem.
Sic etiam æqualia, similia, eadem relata sunt. Quædā autem per se, quædā
per accidens dicuntur relata. Quædam ita sunt comparata ut non sint
nisi quod referantur ad aliud, ut Motus ad movens & mobile. PER FE-
CITUM sumitur pro toto quod omnes partes sibi debitas debito tem-
pore obtinet. sic etiam ipsum tempus perfectum est ut integer annus, si
pro illo quod ratione Virtutis & qualitatis absolutum est. Cum enim
unum quodq; suam propriam Virtutem accepit tunc perfectum dici-
tur, ut perfectum Musicum & Medicum appellamus. per Metaphoram,
perfectum calumniatorem & sophistam dicimus, cui ad tale vitium nihil
deest, id dicitur perfectum quid finem studio & labore dignum habet,
ut qui eruditionem assequutus est quam optabat dicitur perfectus. Sed
quemadmodū Mors metaphoricè dicitur finis quia utrūq; est ultimū, sic
etiam Mala alia quæ apparenter bona sunt, finis rationem habent & hinc
Mali dicuntur perfecti. Quædam etiam dicuntur perfecta absolute,
quædam quando ad certa referuntur, quædam perfecta dicuntur
quia perfectum aliquod efficiunt aut agunt: quædam quod tale
C 3 quid

quid habet, quædam quod similitudinem s. analogiam cum illis ob-
tineant quæ in se perfecta sunt. ita perfecta imago s. pictura dicitur.

XXXIV. Constat quod totum & perfectum aut omnino idem sint
aut natura inter se affinia. Perfectum autem nihil esse quod finem non
habet, finem autem esse terminum s. extremum. Quamvis non omne
extremum mereatur nomen finis sed id quod est optimum. TERMIN-
NUS vero dicitur ultimum rei ut supremi cœli concava superficies & terra
est terminus eorum quæ secundum gravitatem & levitatem move-
nentur sive sum & deorsum ita terminus dicuntur ultimum quanti Conti-
nui; intra quod omnia continentur. vel etiam quod est extremum ali-
eius magnitudinis s. habentis magnitudinem. Deinde illud maxime
appellamus terminum in quo desinit motus s. ad quod res mobilis ten-
dit. Unde etiam ab illo maxime denominatur. Terminus autem à quo
incipit motus dicitur principiū. Sic etiam finis quem assequitur id quod
agit propter finem terranus dicitur. Sic essentia rei terminus di-
citur, cum illa cognita acquiescit intellectus. Terminus etiam est defini-
cio, & subjectum ac prædicatū in propositione dicuntur Termini. Ideoq;
quot modis sumitur vocab. Principiū tot etiam Termini, immo pluri-
bus. Omne enim principium terminus est, sed non omnis terminus
principium.

XXXV. Similiter καὶ ὁ καὶ καὶ ἀντὸ secundum quod & secun-
dum se varijs modis dicuntur. 1. de forma & substantia ut secundum ip-
sum bonum aliquis est & dicitur bonus 2. de subiecto, ut secundum su-
perficiem aliquid est coloratum. 3. in omni causarum genere obtinet,
ut secundum quod male colligit? &c. 4. de loco & situ, ut juxta quid
stetit, secundum s. juxta Regem. Hinc etiam Secundum se plures signa-
tiones habet ut ratione definitionis essentiam rei explicantis aliquid
secundum se dicitur, item quæ soli alicui in sunt, ut qui solus loquitur
dicitur per se & secundum se loqui &c. DISPOSITIO est ordo eo-
rum quæ multas partes habent. Ordo autem partium determinatur ad
loci differentias ut infra supra, dextr. sinist. ante, retro vel secundum
rem ipsam, quat. hoc vel illo modo ordinari possunt partes, vel secun-
dum figuram ita in picturis partes dispositæ sunt. HABITUS quoq; varias
significationes obtinet, dicitur ut actus & operatio ejus quod agere aut
operari potest; dicitur ut species qualitatis quæ afficit bene vel male sub-
iectum ut sanitas, vitium, dicitur etiam ratione partium quando pars
totius

totius benè vel male affecta est, ut Oculi virtus, benè posse videre, oī habitus &c.

XXXVI. **Hab** s. PASSIO 1. denotat qualitates secundum quas res alterantur. 2. harum Actum secundum, qui spectatur in agente, ut est actio, in recipiente ut est passio. & hac ratione unus datur actus ratione Moventis & mobilis, ut sanatio est Medicamentorum & aegroti. Motus actus mobilis & moventis. 3. per passionem intelliguntur affectus s. motus tales qui molestiam tristitiam noxam inferunt. 4. gravissimam & terribilem mutationem h. m. dicitur quod non statim adulter sit qui propter passionem adulterium committit, ut si furore agitatus quidam scelus peragat. **PRIVATIO** dicitur 1. de eo quod plane non est aptum, ut tale quid habere possit, ut planta privata est cognitione, motu locali, 2. de eo quod aptum natum est s. genus s. speciem respiciamus ut possit habitum obtainere ut homo dr. cœcus, talpa cœca 3. quando aliquid non habet quoddam bonum eo modo, eo tempore secundum eam partem & alias circumstantias secundum quas debebat. Ultratione oculi homo dr. cœcus quando tum videre non potest quando secundū naturā talem potentiam exercere posset. 4. Violenta rei ablatio dr. privatio. Quin & vocabula à præpositione & s. In incipientia privationem inferunt & æquivoca sunt: ut Invisibile, inhabitabile, quod inhabitari non potest, quod non inhabitatur, quod cum summa difficultate inhabitari solet, &c. & sic quæ negationem significant privationem inferunt, sic etiam quod exiguum sive parum habet vel minus quam operatio exigit, quod non facile expedite ac promptè operari potest, ut olivam dicimus exossem, ita inseparabile quod non facile separari potest. maximè tamen is dicitur privationem obtainere qui planè caret ista re, quam habere posset. Ut surdus dicitur non qui difficulter audit sed qui planè non. Datur tamen aliquod medium inter privationem & habitum. Ut inter Bonum & Malum, justum & injustum. Datur etiam privatio habitualis dicta, quæ præter absentiam & negationem formæ infert aliquid positivum. unde falsum est quod inter Principia generationis locum non obtineat privatio.

XXXVIII. Ex illis Vocabulorum significationibus quæ adhuc in libro V. Metaph. declarantur, sequentes assertiones ponimus.

1. **Habere** dicitur rem qui illa pro libertate ntitur, qui alteri dominatur, ut Rex regnum, morbus hominem habet, alio modo homo habet vi-
- tium,

tiūm, & formam, alio modo Vas aquam, urbs homines, totum par-
ses, alio modo columnā habet onera imposita ut Atlantem dixerunt
poterū habere. Cœlum. His & similibus modis etiam Aliud dicitur
esse in alio.

2. Multis modis aliud dicitur fieri & esse ex alio 1. ut ex die nocte, ex pue-
ro virum fieri dicimus, quia hoc post hoc fit 2. ut ex ære statuam, ex
ligno lectum. Sic quæcunq; ex materia fieri dicuntur, ubi ex aliquo
in existente & formam recipiente est totum. 3. ex Musico amusus, ex
ægrotō sanus & in universum ex contrario contrarium 4. ex calum-
niis maledicta, ex maledictis pugna. ex ludis Isthmiis Olympiaci.
3. Pars est in quam cum insit totum, dividitur. adeoq; pars dicitur in-
qd quantum quovis modo dividi potest. Deinde generis partes
sunt species. & materia & forma rei partes sunt. genus etiam dicitur
pars speciei, cum species definitur per genus & differentias. Hoc
modo species est pars generis & rursus genus est pars speciei, genus
est in specieb. & species in genere.
4. Totum definimus à quo nihil deest ad partes, ut hominem totum &
arcam totam. sic ejus nihil extra est, hoc est Totum & perfectum.
Quemadmodum autem definimus singula quæ totius nomine veni-
unt, ita etiam quod propriè & primò est tale. Illud etiam dicitur To-
tum quod continet partes inter se unitas. Sic totum ratione partium
dicitur esse in se ipso. Aliquando totum idem est quod Universale.
Universale enim non est substantia, sed totum ex tali oratione & tali
materia tanq. Universali. Deinde illa magis dicuntur totum quæ ma-
gis sunt Unum & Continuum quid. Et notum est quod differant to-
tum & omne. In quibus vero positio partium differentiam facit &
non facit ut sunt cæra, plumbum &c. illa promiscuo nomine decla-
rantur.
5. Mutilū dicitur ex detractione alicujus partis quæ substantiā non tol-
lit, si partes sint dissimilares & totum continuum, si insignis & pro-
minens quædam pars sit ablata quæ naturali modo non restituitur.
si renasci potest. Ut homo mutilus dicitur quando pedem amisit.
calix quando ansam. Binarius aut alius s. simplex s. compositus nu-
merus non est mutilus, quia minima parte nraeri sublata, non manet
idem numerus. Calvi non dicuntur mutili.
6. Genus dr. generatio continua quando res ejusdem speciei propaga-
tur.

etur. Ita hominum genus i. e. familia datur, non autem mulorum.
Deinde etiam genus dr. principium familie ut primus genitor, ex quo
generi i. e. parentibus hic vel ille ortus est. Genus etiam idem notat
quod subjectum s. ἰδεῖαι πονηρού. & quod primo inest Definitionibus
specierum. Sive quo ambo quæ differunt substantis idem dicuntur.
Poterit autem genus esse Univocum, vel æquivocum, vel analogum,
secundum proportionem attributionis, & analogiam proportionis.
Quod Dialectice est genus & differentia, id physicæ est materia &
forma. Sed materia potest esse singularis, genus est Universale & in
multis. In Dialect. Negato genere, species negatur; ut negato Animali
negatur homo, leo. Vivum autem non est genus hominis.

7. Falsum est, quod non est s. quod non est compositum in rebus ut se-
denter ambulare. Deinde quod aptum natum est aliter videri quam
est, ut umbræ picturæ. Similiter definitio falsa est, aut quia non entis
s. nullius, aut quia assignatur alteri quam ei cuius est. Sic Homo di-
citur falsus, qui ex proæsti orationes falsas lectatur & ad eas pronus
est, vel si sit falsitatis & errorum causa, ut Sophistæ. Putandum vero
non est quod falsum sit in rebus, constans enim est Philosophi asser-
tio Verum & falsum esse in mente non in rebus, quod magis constabit
illi, qui rationibus Philosophicis est assuetus.

8. Accidens id est ac dicitur 1. quod potest inesse & non esse 2. in cuius
Definitione inest id cui accedit, ut quæ raro eveniunt, vel quæ ad es-
sentiam rei non spectant licet ei per se competant. Quando eni-
duo vel plura conjunguntur s. in uno subiecto s. in eodem loco, s. eo-
dem tempore, ita ut inde non fiat unum per se, neq; alterum sit pro-
pter alterum, ibi accidens est.

XXL Corollarum instar damus seqq. 1. Difficile haut erit animadvertere
quam longè à Philosoph. in Metaph. & aliis Phil. partibus abierint, qui
pro ambiguis & secundum analogiā explicandis Vocabulis, Abstracta &
facta substituerunt. Neq; illi Philos. Veteri doctrinam exhibent, qui alien-
nis s. sacriss. profanis testimoniis aut scriptis suppositionijs in Oper. Arist.
extantibus, adhibitis & conquisitis, res Philosophicas declarare aut de-
struere conantur. Recte Verulamius: Hæc Vanitas, inquit, inhibenda
venit, quia ex divinorum & humanorum malè sana admisitione educit
Philosophia Phantastica ac religio hæretica.

2. Eleganter Conringius de Aristotle refert, quod sermone & moribus
riserit, stultitiam & arrogantiam querundam, qui in compto capillo,
D
pro-

promissa hirquinum in ritum barba, hispidis membris, longo centone, baculo, olla, pera, baxeis, blautijs, atrocem virtute ac sapientia animalium simulatint. Et prout ejusmodi sordes in Monachorum hypocriti detestantur, sic magis decet, quo barbaris & ineptis eorum distinctionibus in Metaph. quas Lutherus sterquilinio comparat, minime delectemur.

3. Afferimus Dialectici exercitij gratia Aristotelem in Philosophicis & genuinis scriptis errorem committere non posuisse. Neque enim absurdum est dicere, Sapientem quam talem errare non posse, Mathematicum ab erroribus immunem, Artificem peritissimum in sua arte infallibilem esse; de Philosopho qui optima ratione principia, conclusiones, methodum proponendi adhibuit, simile quid quis non diceret? Herm. Conringius pronunciat: Nihil Aristotle maius atque eruditius esse omnes inter homines, qui DE U M ipsum doctorem non habuerunt, tu vero pauca illum fugisse quae nunc novimus, multò autem illi plurima fuisse nota, quæ nos ignoramus, longe deniq; maxima nos ignoraturos, si eadem & Aristotle ignorasset. Et tamen etate ac inde sumus, ut hac & similia in Landem Arist. dicta, Mitigare atque Mutare sponte nostrâ ex Bonorum mandato ac voto, velimus; Cum juxta Philosoph. Veritatem tuenda gratis, propria refellenda sunt dogmata. Et Mirificum inquit Socrates apud Platonem hoc habeo bonum, quod me servat, quoniam sine rubore verecundiae ad discendum me præparo, scisor, gratiamque; ingentem habeo respondenti, docentem laudibus extollo, talem te fateor, qualis sum, ne me extollam. Evidenter vero in secula argumentum non est, quam si quis à vere Sapientibus dissentiat.

4. Notum est quod quidam Veterum Philosophorum putarint: Sapientem, Odium, invidiam, contemptum & quæ inde proveniunt mala, superare ratione, Sapientem mutari non posse, neque propter astutus errare, sed Continere se, ne Sapientia datanum patiatur; Quietum esse, Fastu vacare, esse candidum & sincerum, peccate non posse, esse divinum hominem, pium & religiosum. Talia tribuit Epicuro & Zenoni Laertius. Et de Aristotle testatur, quod Calumniatori dixerit; Me absentem vel flagris coedat. Loquaci; Tardium prolixa tua. Oratio mihi non attulit, non enim attendebam. Discipulis; quod eos qui præcedunt sequi, illos qui à tergo sunt, non morari debeant.

Se

Se ex Philosophia studio consequutum esse, quod hunc sua sciat facere isthac quæ alij legibus coacti. In hunc modum Plato quoq; ingenium Philosophantium describit & addit, illos qui convitijs se lacessunt, iniurij delectantur & faciunt quæ multitudinē iniquo animo Philosophiam ferat, agere rem Philosophia miamē congruam.

5. Mars. Ficinus Autor est, Socratem mori viciū. Pythagoricē & allegorice loquuntur, quando inquit in Phæd. Platō. Inferior Cygnis ad divinandum vobis esse videor; illi quidem quando se brevi praesentiant morituros, hinc magis admodū dulciusq; canunt quam ante consueverint; putatq; per Cygnos intelligendos esse homines innocentes, plebejos, sine Philosophia viventes, qui cum mortem tamē timore minimē timent, significant Philosophos absolutos timere eam nullo pacto debere. Et verisimile videtur inter Exotericas & fabulosas Auscultationes Canticem illam cygo. referendam esse. Ut vulgariū hominum de rebus philosophicis sermones, sic cygni cantus voluptati alicui esse posset. Nobis ferēt. in variis appellations, inconditæ distributiones Libri quinti Metaph. olim factæ, placent, ut quando cicitur liber Quotiens, liber de Nominibus intermediarū ultimarum partium Entis & consequentium ejus, de affectionibus nitis & disjunctis, de Trascendentalibus, Unitate unione, Bonitate, veritate, Creato, in creato, Independ. & dependen. Subsistentia in ha- tentia & similibus.

A SE IPSO DECIPI MAXIME PERICULOSUM.
NON MINUS DIFFICILE DEDISCERE
QUAM DISCERE.

M Agnum Philosophum studiis melioribus urges
RHODI, est in vario cura labore Tibi
Nomina quam varient monstras felicibus ausis
Eusebiam curans, non negligis Sophian.

Palcrē

ulcèrè constunt & in una sede morantur
Doctrina, Probitas, quæ decorant animum,
ec Te vaniloqui turbent, hæc jungit amicè
Theiologus prudens, doctus Aristoteles.

Am. & Hun.E. pos.

M. M. W. PRÆSES.

Toë, Rhodi, dubium huic voci, hoc dum deputas illi,
Ductum ad Aristotelis singula rite secas.
erge bonis avibus dubias discernere vices,
Sic certi & dubij victor & Hector eris.
rata Tibi, Patri, patriæ conamina reddat
Supremus, votis quod precor hisce meis.

Amoris & Gratulationis ergò l. mq. f.

Nicolaus Claudi, S.S. Theologiæ
Studiosus.

Tancen Rosam Rhodi primam petiisse ju-
vabit,
Quam Sophiæ primam dicit Aristoteles?
ræ primis præstat legere hanc Stagyritidishorto.
Rite legas, Rhodi, sit tibi parta Rosa,
Defendas lodes gratum quod mittit odorem,
Liquorem mentis quod medicamen habet.
ura favens Patris sublimia prosperet ausa:
Serra dabit capit certus honos Rhodij!

Fraternè fecit.
Petrus Richardi, Focrensis.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730215377/phys_0033](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730215377/phys_0033)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730215377/phys_0034](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730215377/phys_0034)

DFG

Se ex Philosophia studio consequutum est, quod sacer istae quæ alij legibus coacti. In hunc modum genium Philosophantium describit & addit, illos cessunt, inimicis delectantur & faciunt quod multo Philosophiam ferat, agere rem Philosophia mi-
5. Mars. Ficinus Auctor est, Socratem morti vicinum Py-
goricè loquutum, quando inquit in Phæd. Plato ad divinandum vobis esse videor; illi quidem qua-
sentient morituros, hinc magis admodum dulcissimi;
tea consueverint; putatq; per Cygnos intelligentes
innocentes, plebejos, sine Philosophia viventes, qu
pè minimè timent, significant Philosophos absolu-
nullo pacto debere. Et verisimile videtur inter Exortus
Auscultationes Cantionem illam cygn, referenda
rurum hominum de rebus philosophicis sermones
voluptati alicui esse posset. Nobis ferè h. m. variae
conditæ distributiones Libri quinti Metaph. olim
quando cicitur liber Quotiens, liber de Nominib.
ultimarum partium Entis & consequentium ejus, d
nitis & disjunctis, de Trascendentalibus, Unitate
veritate, Creato, incerto, Independ. & dependen-
tentia & similibus.

A SE IPSO DECIPPI MAXIME
LOSUM.
NON MINUS DIFFICILE DE:
QUAM DISCER

M Agnum Philosophum stu-
bus urges
RHODI, est in vario cura-
Nomina quam varient monstras fel-
Eusebiā curans, non negligis S

